



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniae, 1658

§. 87. Respondit Iesus. v. 34.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45556

Itus ingressus in urbem triumphalibus acclamationibus Regis honoratus fuerat: Et quia Pilato gentili de legis Mosaicæ observantia parum erat curæ; de regia dignitate, Imperio Cæsaris & Romano non parum adversante examinat & interrogat, eum in prætorio à turbis semotum, an vere Rex Iudæorum foret? quasi diceret, non mihi satis est si neges te dixisse, amplius quero an sis Rex? Vide hic divinam providentiam interrogatio sit ad rem aptissime. Quia Christus Rex verus erat, & ea de causa etiam in vitis Iudæis appositus est ei titulus *Rex Iudæorum*, quamvis mox intelligeret Pilatus quale eius foret regnum singulariter tamen movit hanc questionem cæteris omissis, timebat enim non tam Cæsari quam sibi ipsi, Cæsari ne regno Iudæorum privaretur, quod iam à tempore Archelai in exilium acti possidebat Cæsar uti proprium bonum. Ipse vero Pilatus, ne eius gubernacula perderet.

O Rex supreme, qui constitutus es à Patre æterno Rex super Sion montem sanctum eius, decebat omnino excellentiam tuam, etiam esse huius mundi Regem & subditos, imò mancipia habere omnes Reges; sed tua charitas infinitamundanæ huic pompæ renuntiavit, ut humilitatis mihi præberes exemplum, excitare (que cor meum, ut terreno regno contempto, cœleste obtinere contenderem. Fac me, Rex meus, subditum tuo regno dignum, ita animatum ut calcare velim quidquid vanè magni æstimat mundus.

§. 87. Respondit Iesus. v. 34.

Considera hic promptitudinem animi & obedientiam Christi erga superiores sive in dignitate constitutos. Interrogatur Iesus, respondet promptè & demille, non tergiversatur, cogitando aut murmurando intra se, si debeat respondere, vel ad rem sincere, vel oblique vel arroganter ut nos doceat superiores vel in dignitate constitutos honorare ac venerari, dicta eorum & interrogata non contemnere; sed coram eis sincere agere.

Deus Deorum Dominus, Princeps Creaturarum omnium, rectus corde & humilis da gratiam obsecro ut omni creaturæ obediam propter te, omnibus sim affabilis, omnes diligam, superiores honorem, timeam & colam; inferiores nunquam despiciam, vel contemnam aut præ illis extollicupiam.

§. 88. A semetipso hoc dicis an alij tibi dixerunt de me? v. 34.

Volens inducere Pilatum in sui cognitionem respondet: an à semetipso hoc dicis, quod Rex sim ego an alij tibi dixerunt de me? Mira responsio, quia est